N O T Æ.

1 a FRatribus.) Hoſpitalariis videlicet S. Joannis Hieroſolymitani, creſcente enim per annos 1099. numero peregrinorum, juxta Templum Hieroſolymitanum Xenodochium ædificatum fuit ſub titulo D. Joannis, in quo reciperentur peregrini; cui monaſterio viri pii pariter & nobiles ſe devoverunt, qui etiam peregrinos a Latronum ſeu Agarenorum incurſionibus defenderent. Illi in jure hoc plerumque vocantur Fratres Hieroſolymitani, & Hoſpitalarii, *c. Uxoratus, c. 8. de converſ. conjug. c. Dudum, de decimis, c. 1. c. Duarum, de priv. & c. Canonicos, 50. de ſent. excom.* In præſenti reſcribit Innocentius Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Hieroſolymitani. Proſequuntur hujus præclaræ, & ſacræ militiæ originem progreſſus, & privilegia plures congeſti a Barboſa *in ſumma Bullar. verb. Militia S. Joannis Hieroſol.* P. Gregor. *l. 15. ſyntag. c. 34.* P. Mendo *de Ord. Milit. diſquiſ. 1. q. 5. per tot.*

COMMENTARIUM.

2 TExtus hic ſpectat ad tertiam partem hujus rubricæ, quæ eſt de *relationibus*, nam ſicut in Digeſtis Tribonianus, ſic in hoc titulo aliquid intermiſcendum putavit noſter Raymundus de relationibus, ſeu judicum ad principem conſultationibus; quia hoc genere ſolet appellatio anteverti, ſi ante ſententiam dicat judex Principem conſulendum, quid facto opus ſit; vel eludi ſi poſt ſententiam, ut *in l. penult. ff. de appell. recip. l. pen. C. Theod. de rel.* & earum quidem uſum in cauſis dubiis apud veteres frequentem, Juſtinianus ut litium brevitati inimicum ſuſtulit *in novell.* 125. Sed jure Pontificio relationum uſum receptum fuiſſe conſtat ex hoc textu, *c. 1. v. Nam ſi tale, d. 20. c. Denique 6. q. 3. c. Nomen 2. q. 1. c. Biduum in fin. 2. q. 6.* cum ea tamen conditione, ut antequam judex ad Principem relationem mittat, ejus exemplum apud acta litigantibus edat, & eorum refutationes ſeu refutatorias preces jungat, ſi quid forte alterutri imperfectum videatur; atque ita plenam, & integram totius controverſiæ inſtructionem relatio contineat, ne tantillum ambigere, quid reſcribat, Princeps poſſit, *l. ne cauſas 15. l. jubemus 34. C. hoc tit. l. ult. ff. quando appell. ſit, l. inter pœnas 6. ff. de interd. & releg. l. 2. C. de off. vicar. l. 1. & 3. C. de relat.* juncto Symmacho *l. 10. ep. 45. & 53. & l. 2. ep. 30.* Unde in cognitione Principis non datur dilatio, *l. 5. C. de dil.* quia non niſi plene inſtructa cauſa remittitur ad Principem. Omnia igitur acta, & geſta relationis, refutationes, & relatoris opiniones partibus edi debent, ut ſi altera litigantium pars agnoverit minus plenam aut falſam, ab ipſa poſſit appellare, *l. 1. C. de relat. l. 6. §. ſuper, l. 18. & 19. C. hoc tit. c. 33. de offic. del.* docent Cujac. *ad tit. C. de rel.* Germon. *in p. ad hunc tit.* & facit efficax ratio; nam ubi gravamen proponitur, & appellatio reperitur prohibita, omnino admittenda eſt, cum edictum appellationis ſit prohibitorium, ita ut a quocumque gravamine illato appellari poſſit, niſi lege aliqua ſpeciali prohibeatur, *c. Omnis 2. q. 6. l. 1. ff. hoc tit. l. & in majoribus, C. eod.* Sed judex qui, ut ſupponimus, minus plene refert, vel contrarium quam debuit, partem gravat veritatem tacendo, vel falſum referendo, *c. 1. de crim. falſi*, junctis traditis a D. Thom. *2. 2. q. 70. art. 1.* Covar. *l. 1. var. c. 2. n. 3. & in c. quamvis, 1. p. §. 7. n. 5. de pactis*. Ergo a tali relatione juſte interponitur appellatio: a pronunciatione vero judicis de conſultando ſuperiore in re dubia non admittitur appellatio, *l. 1. §. quæſitum, v. hic conſequenter, hoc tit.* quia tunc nullum datur gravamen, & ſic non eſt locus appellationi.

C A P U T LXIX.

Idem *Archiepiſcopo, & C. Canonico* a *Turonen.*

SIgnificante *b* Aurelian. Epiſcopo nos noveritis accepiſſe, quod cum Decanus, & Capitulum *c* Magdunen. ipſum ſuper eo, quod dicebant, aliis quam in ſtallis Decani, & Capituli prædictorum *d* carnifices carnes *e* vendere non *f* debere, coram judicibus auctoritate Apoſt. conveniſſent: petentibus tandem Decano, & Capitulo nominatis, judicum officium implorando, ut cum idem Epiſcopus *g* poſt citationem carnes in ſtallis aliis vendi feciſſet, quod per eum ſuper hoc factum fuerat, in ſtatum priſtinum revocarent: pro parte ipſius fuit propoſitum, quod cum lis præſertim non fuiſſet ſuper negotio conteſtata, locum imploratio hujuſmodi non habebat, adjiciens quod cum de conſenſu partium coram dictis judicibus ad litigandum ſuper ipſo negotio certus dies ſtatutus fuiſſet, & quantum ad illam diem ſolutum fuiſſet judicium eorumdem, prævenire diem ipſum, ac audire partem adverſam in tali imploratione abſque conſenſu partium non debebant: & quia ſuper his non audiebant eumdem, noſtram audientiam appellavit. Et licet procuratorem ſuum intra annum ad hujuſmodi appellationem miſerit proſequendam; quia tamen dictus procurator (ut creditur) circumventus contra inhibitionem ipſius Epiſcopi noſtras ſuper hoc ad quoſdam judices certa ratione ſuſpectos litteras impetravit, dictus Epiſcopus uti noluit litteris ſic obtentis, petens non obſtante lapſu anni, ad proſequutionem appellationis admitti. Ideoque mandamus, quatenus ſi de inhibitione *hujuſmodi*, & præmiſſis cauſis appellationis, vel earum altera conſtiterit, revocato *in irritum, &c. uſque ad attentatum*, in jamdicto negotio juxta priorem continentiam litterarum, &c.

N O T Æ.

TUron.) De Metropoli Turonenſi, & ejus Prælatis nonnulla notavimus *in c. 5. de ſervit. non ord.* Præſens Decretalis miſſa eſt Ivello de Matefellon, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Rhemenſis, ut refert Chenu in ſerie Præſulum Turon. *n. 71.*

1 b *Aurelian.*) Philippo videlicet de Jouy, ſecundo hujus nominis, ut tradit Chenu in ſerie Præſulum Aurel. *n. 72.* De Eccleſia Aurelian. nonnulla notavi *in c. 4. ut lite non con.*

c *Magdunen.*) Magdunum oppidum eſt in ripa Ligeris, prope Aureliam, de quo in vita Liphardi ſolitarii quondam viri, referente Papirio Maſſonio *in deſcr. Franciæ per flumina, fol. 59.* ita legitur: " Marcus Aurelianenſis Antiſtes in vico Cleriaco, qui a Magdunenſi oppido tribus diſtat milliaribus, ob certas cauſas reſidebat." In eadem vita etiam reperies verba quæ ſequuntur: " Eſt mons apud Aurelianos, quem incolæ Regionis illius Magdunum vocant, in quo antiquitus extructum erat caſtrum, quod a Vvandalis hominibus barbaris ad ſolum ipſum dirutum eſt." Quæ duo oppidula pari intervallo ab Aurelia abſunt, videlicet quinque paſſuum millibus, & quod excurrit. Denique ad Aurelian. Epiſcopos tria, ut dici ſolet, oppida pertinent: Pitiveris, Targolium, & Magdunum. In ea villa eſt collegium quoddam Canonicorum Regularium, ut referunt Cujac. *hic*, & Chopinus *de ſacra polit. tit. 2. n. 17.*

2 d *Carnifices.*) Licet plerumque carnifex accipiatur pro eo, qui ſtrangulat, gulam frangit, publice reos verberibus afficit, D. Chryſoſt. *in decoll. Sancti Joannis*, ibi " Spiculatorem militem, eſſe carnificem deputatum ad id, ut occidat. *Poſſidius* in vita Sancti Cypriani: *ibi*: Cum perveniſſet in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab urbe milliario, ſpoliavit ſe birro, & tradidit carnificibus." Qui apud Romanos in urbe domicilium habere non poterant, ut probarunt Polletus *l. 5. hiſt. fori Rom. c. 14.* Hothomannus *de verbis juris, verbo Carnifex.* P. Pinto *in ſpicil. l. 1. c. 45.* In præſenti tamen accipiuntur carnifices pro illis qui carnes publice vendunt; & licet officium hoc carnificum, vel macellariorum clerici per ſe exercere non poſſint, *Clem. 1. de vita, & honeſtat. cleric.* per alios tamen exercere non prohiberi, notavit Salcedo *ad Bernardum Diaz, in praxi c. 69.*

3 e *Carnes vendere.*) Quia in nullo alio textu expreſſius agitur de monopoliis, eorumque uſu, & abuſu, in præſenti proponendum duxi, quod circa ea apud varias gentes uſitatum, variiſque legibus ſtatutum obſervavi. Sciendum ergo eſt, monopolium Græcam vocem eſſe, ut per ſe patet, adeo ut Tiberius in Senatu verba faciens voce illa uſus veniam prius poſtulaverit, teſte in ejus vita Svetonio *c. 71.* Ut vulgo obſervatur, eſt monopolium unius, vel multorum generum omnes merces coemere, ut ſolus vendat. Hoc tripliciter accidere poteſt, lege, induſtria, pactione. Lege permittente, jubenteque ſupremo Principe. Induſtria, ſi quis omnem mercem coemat a voluntariis venditoribus, ut poſtea ſolus revendat. Pactione, quando omnes, qui ejuſdem mercis, vel artificii compotes ſunt, in idem placitum coeunt, ne opera exerceant, niſi tali mercede; vel merces vendant tali pretio, de quibus ſingulis breviter, ſed ſingillatim diſcutiendum eſt, & primum de monopolio a Principe, ſeu a lege permiſſo. Et ſane ſolis ſupremis Principibus jus regale competere conſtituendi monopolia, quæ vulgari idiotiſmo appellantur *eſtancos*, concors omnium ſententia eſt. Libertas enim commercii, quæ humanis neceſſitatibus exigentibus introducta eſt, *l. ex hoc jure, 5. ff. de juſtitia, & jure*, & a natura ipſa provenit, ſuppoſita hominum indigentia ſubjacet providentiæ, & rectæ Principum ordinationi, non ut in totum auferat, ſed ut reſtringat, vel ſibi ſoli reſervando, vel uni, aut pluribus privatis permittendo, & interdicendo ceteris. In ſumma, quod de dominio in habitu rerum natura communium vulgo docetur, valet etiam hic in commerciis quarumdam rerum; ut enim princeps ſibi reſervare ſolet piſcationem, venationem, metalla, & ſimilia, quæ ex jure naturæ deberent cedere occupanti, quæ reſervatio optimo jure ſuſtinetur, ſi eo animo, & effectu fiat, ut aliis tributis minus graventur ſubditi, & ex aliis politicis rationibus; ita juſta exigente cauſa Principibus permiſſum eſt commercia ipſa regere, moderari, reſtringere, vel juſti commodi cauſa, vel propter utilitatem utentium. Nec magis in contrahendo quam in acquirendo communia, & quæ nullius adhuc ſunt, libera hominis voluntas viget; ſed hæc libertas ad acquirendum, per Principem regi, moderari, & reſtringi poteſt; ergo & libertas in contrahendo. Probatur diſerte apud nos *ex l. 2. tit. 7. p. 5.* illis verbis: *Sin otorgamiento de el Rey*: ubi poſt Oldradum, & antiquiores notat Gregorius *gloſſ. 2. l. 12. tit. 11.*

tit. 11. l. 6. compil. docent Soto *de juſt. & jure l. 6. q. 2. art. 3.* Molina *tr. 2. diſp. 245.* Illuſtriſſimus Tapia *2. t. Catena mor. l. 5. q. 16. art. 11.* Nec obſtat textus *l. unic. C. de monopol.* ibi: " Prohibitum extat exercere monopolium pro ſua auctoritate, vel ſacro jam elicito, aut in poſterum eliciendo reſcripto." Quibus ex verbis probatur, principale reſcriptum non poſſe juſtificare monopolia. Sed reſpondetur, in rebus magni ponderis, & utilitatis frequenter in jure prohiberi elicere reſcripta, aut Principis permiſſiones, *l. unic. C. de petit. ſub. l. unic. C. de collat. bon. l. 10. l. 1. C. de murileg. & gynæc. l. 10.* illic " Nec dignitatis cujuſcumque privilegio ab hujuſmodi conditione liberari." Quæ prohibitio efficit, ut cautius hæc indulta concedantur, & ne executioni mandentur, quia videntur ex importunis precibus potius, quam ex voluntate Principis extorta, *novel. 134. Ut nulli judicum, & c. 3. l. 29. tit. 18. p. 3. l. 13. tit. 10. l. 5. compil.* donec Princeps de ea re certior factus iterum reſcribat, ut in ſuperioribus manet animadverſum; non tamen tollit abſolute poteſtatem Principi faciendi gratiam, vel indulgendi permiſſum, juxta communem noſtrorum doctrinam, quam tradit noſter Amaya *in l. 2. C. de bonis vac. l. 10. ex n. 14.* & ab ſpecie apud nos probatur *ex l. 8. tit. 11. l. 6. compil.* quæ loquitur de aliquorum regalium conceſſionibus.

4 De cauſis monopolii.

Cauſa itaque inducendi monopolium duplex eſt, publica utilitas, & commodum ærarii occurrentibus neceſſitatibus exhauſti. Publica utilitas, veluti in monopolio ſalis a Senatu introducti ſub initio naſcentis libertatis, ut viliori pretio plebs illa ſpecie uteretur: & hoc monopolium non ſolum licitum, ſed laudabile eſt, cum in eduliorum recta adminiſtratione, & in pretio moderando præcipue cura debeat eſſe Principum, & Magiſtratuum, *lib. 1. §. cura carnis 11. de offic. Præfecti Urb.* Licitum etiam eſt jus monopolium exercendi alicui privato concedere, vel ſub aliqua annua penſitatione, vel ſemel accepto pretio ex cauſa venditionis illius facultatis: Hæc enim venditio, vel locatio ex parte Principis nihil continet rei turpis, aut per jus naturæ, vel ſupernaturale prohibitæ. Ergo licita erit, ut in ſimili argumentatur D. Th. *opuſc. 42. ad Duciſſam Brabantiæ*. Quare hæc cauſa ex terminis non eſt improbanda, uſuque in omnibus Regionibus recepta eſt, & aſſiduo frequentatur, adeo ut Cujac. *ad tit. C. de monopol.* monopolium definierit non male: *Vendendæ certæ mercis jus, quod unus, certive homines ſibi vindicant permiſſu Principis ſub onere vectigalis*. Jam enim parum frequentantur monopolia gratia ſolius populi inducta; ex circumſtantiis tamen Principes, & eorum Conſiliarii multum peccare poſſunt in his conceſſionibus. Qua in re quia graviter loquitur noſter Gregorius, tranſcribam ejus verba ex Gloſſa *2. in fin. l. 2. tit. 7. p. 5.* ubi inquit; (Advertant tamen Principes concedentes iſta privilegia, ne concedant contra publicam utilitatem, neve ob ditandum unum, alios deſtruant, nec dona ingenii, & naturæ, quæ Deus dat hominibus, Principes prohibeant, jubendo quod unus ſolus exerceat talem artem, vel tale officium; ſed præ oculis habeant Deum, & publicam utilitatem, cui ex juſto regimine inſervire debent. In primis debent compenſare utilitatem, quam Fiſcus capit, cum damno, quod patitur populus ex monopolio: nedum enim injuſtum, ſed ridiculum eſſet parvo pretio accepto rerum neceſſariarum caritatem invehere. Deinde tenentur pretium juſtum ſtatuere, quod monopolæ excedere non poſſint. Rurſus ſi monopolæ neceſſarias merces non advehant, injuſte queruntur de privatis, qui aliunde adferunt. Denique omnis avaritia hinc exterminanda eſt, alioquin qui conſtituit, & qui conſulit, ut conſtituatur monopolium, graviſſime peccant, quia ſola ſpe lucri libertatem naturalem emendi, vendendique adimere ſubditis eſt grave peccatum, & quod Deus non ſemel ultus eſt, immiſſa rerum ſterilitate, ut ex Athenæo tradunt Cujacius *l. 3. obſerv. c. 31.* Pancirola *l. 2. var. c. 31. tit. de vectigal. ſalinar.* Solorzanus *d. l. 6. polit. c. 3.* graviter Azevedus *in l. 37. tit. 18. l. 6. compil. ex n. 10.* quod in his terminis cenſet P. Molina *d. tr. 2. diſp. 345.*

5 Refertur caſus Thaletis Mileſii.

Accedamus ad ſecundam ſpeciem monopolii, quod ex induſtria fit, quando aliquis, vel aliqui pretio dato a voluntariis venditoribus omnes merces coemant, ut ipſi ſoli habeant, quas revendant. Hujus Monopolii diſerta mentio, vel forte origo extat apud Ariſtotel. *l. 1. polit. c. 7.* ex partitione Giphanii, qua utor. Ita res ex facto contigit. Thales Mileſius, ſive Philoſophus ex urbe Mileto oriundus, cum ſapientiæ ſoli operam daret, a rei privatæ procuratione vacuus, ceteris deriſui erat voluntariam ob egeſtatem, exprobrantibus illis indigentiam rerum, qui omnium ſapientiam profitebatur. Thales ergo Mileſius, ut oſtenderet Philoſophos poſſe diteſcere, ſi divitias illi amarent, cum per aſtronomiam cognoſceret ſequentem annum olivarum ditiſſimum futurum, conquiſita hinc inde pecunia, omnes officinas olearias, trapeta torcularia, præla, molas, & cetera inſtrumenta ad exprimendum oleum, tam in ipſa urbe Mileto, quam in Chio conduxit pretio parvo, nemine contra licitante. Cum autem venit tempus, omnes ad Philoſophum accedebant ab ipſo conducturi officinas; ipſe vero qua mercede libebat, elocabat; & grandem quæſtum pecuniæ fecit, quo tandem, ſed ſero, Mileſii, & Chii cognoverunt Thaleſium pauperem eſſe, quia vellet; poſſe vero diteſcere, ſi præferret divitias. Cicero *l. 1. de divinat.* hoc ipſum de Thalete commemorat, ſed tradit omnem oleam coemiſſe prævisa ſequentis anni ſterilitate: quod & Plinio videtur placere *l. 13. natural. hiſt. c. 28.* Ariſtoteli vero aſſentitur Hieronymus Philoſophus Rhodius ejus diſcipulus apud Laertium in vita Thaletis. Et quamvis Neotherici de veritate ſententiam ſuam interponant ad prædictum locum Ariſtotelis, ego in medio relinquo, quia quidquid de re vetuſtiſſima dicatur, id conjectandum erit, non certum, ut & illud, quod Plinius commentum hoc potius attribuit Democrito, quam Thaleti. Ex qua narratione ita concludit Ariſtoteles. Sed eſt, ut duximus, hoc ad parandam pecuniam aptum commune, ſi quis ſibi reperire poſſit. Quia & civitates quædam cum pecunia indigent, hac via parandi utuntur, ut de Heracleotis tradit *l. 2. œconom.*

6 De Monopolio voluntario.

In hoc monopolio nihil natura turpe eſt, nec ullo jure, aut legibus vetitum, quia voluntaria eſt coemptio ex parte ementis, aut conducentis, & voluntaria eſt alienatio ex parte vendentium, aut locantium. Eſt vero naturæ conſentaneum, ut ſibi, reique ſuæ potius quis conſulat, quam extraneis, *leg. Præſes 6. Cod. de ſervit. & aqua, leg. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.* Et quamvis creſcat rei pretium ob hoc monopolium, & hoc a monopola intendatur, viliori enim emeretur ſi multi eſſent venditores; tamen hoc non eſt contra juſtitiam, dummodo monopola ſe contineat intra juſtitiam pretii ſupremi; & tantum erit contra proximi charitatem, ſi merces alioqui inveniri poſſent pretio medio, aut infimo, ut in ſimili docent Sotus, Molina, & Tapia ſupra laudati. Sed quia facilis occaſio eſt avaritiæ, & injuſtitiæ, & difficile homines ſciunt ſeſe intra metas juſti cohibere; ideo Reſpublica, & civitates hæc monopolia ſolent interdicere, præcipue in rebus valde neceſſariis ad victum, alioquin annonæ caritas eveniret. Ita intelligendus eſt Ulpianus *in l. annonam 6. de extraord. crim.* ubi hujuſmodi annonæ flagellatores Dardanarii appellantur a Dardano mago, qui aliena horrea per incantationes in horrea propria traducebat, quaſi incantationi illi commentum hoc ſimile ſit. Ita poſt Hadrianum Turnebum *l. 9. adverſar. c. 16.* docent doctiſſimus noſter Martinus Delrio *diſquiſit. magic. l. 2. q. 12. n. 2.* Philipp. Brodæus *in addit. ad Franc. Pollet. l. 1. de hiſt. fori Rom. c. 1.* Bobadilla multis aliis relatis, *l. 3. polit. c. 4. n. 56.* Aliquando etiam permittuntur, præcipue ad exoticas, & extraneas merces comportanda, quas aliter Reſpublica conſequi non poſſet, pretio tamen taxato, quod nullo prætextu excedere poſſint, ut olim de negotiatoribus Græcis ſanxerunt Theodoſius, & Valentinianus *novella 43. de pantopolis ad Urbem Romanam revocandis*, quam exacte illuſtrat Cujacius 10. *obſerv. capit. 19.* Pantopolis, ſive his voluntariis monopolis ſimiles ſunt, & fere ejuſdem induſtriæ, quos dicimus *Recatones*, genus hominum ſordidiſſimum, ut inquit Cicero *l. 1. offic.* " Qui mercantur a mercatoribus quod ſtatim vendant; nihil enim proficient, niſi admodum mentiantur." Quæ verba de venalitiatoriis agens videtur imitatus Paulus *in l. juſtiſſime 44. §. 1. de ædil. edict.* Nam id genus hominum ad lucrum turpiter faciendum pronius eſt: nihilominus, & retinebuntur, & ſemper damnabuntur, quia ruſtici, & alii, qui laboribus invigilant, neceſſariis carerent, niſi eſſent qui per averſionem emerent, ut poſtea ſedentes in foro minutatim revenderent: ex quo permittendos in Republica cenſuit Plato *l. 31. de Republica*, ſive *de Juſto, dialogo 2.* & noſter Caliſtratus *in lege ultim. de nundin.* idem docens. Pro cujus textus explanatione, & verborum Græcorum ſupplemento, & emendatione videndus eſt præciſe diligentiſſimus Guillelmus Budæus ad eumdem locum, in annotat. poſter. ad Pandectas. Itaque quæ quotidie cernimus, quotidie damnamus; in his hominibus vitia potius eorum ſunt perſonæ, quam artis, ut docuit Divus Auguſtinus *ſuper Pſalmum 7.* laudatus a Divo Thoma ſecunda ſecundæ, *quæſtion. 77. articul. 4. verſ. Sed contra eſt*, ubi ſapienter ponit quando ars mercaturæ, & negotiationis ſine peccato, & cum merito exerceri poſſit, & propter quas cauſas negotiatores in peccatum prolabantur, loquens de his propolis, vel pantopolis. In communi hæc ſunt, quæ de illis dici poſſunt, ſed ſingulæ provinciæ, & fere ſingulæ civitates circa uſum propolarum ſuas habent municipales leges, ſtatuta, & ordinationes, quæ erunt obſervandæ. Et quia deſcendere ad ſpecialia in ſingulis ditionibus longiſſimum eſſet & vanum, videndi erunt Matienzus & Azevedus *ad tit. 14. l. 5. compilat.* qui inſcribitur, *de los recatones*, Bobadilla *dict. l. 3. c. 4. ex n. 50.* idem Matienzus *in l. 7. tit. 11. eodem l. 5. gloſſ. 13. num. 11.* Didacus Perez *in lege 3. titul. final. l. 2. ordin. & l. 8. titul. 7. lib. 4. ejuſdem ordin.* Avendanno *de exequend. mandat. lib. 1. cap. 19. num. 35.* Ludovicus Mexia late, & acriter in hos Dardanarios invehens *ad pragmaticam panis, concluſion. 1. ex num. 164.* qui omnino eſt videndus, Solorzanus *in politic. Indiar. lib. 6. cap. 14. pagin. mihi 1011. column. 2.* Gibalinus *de negot. tom. 2. libr. 4. cap. 5. artic. 5.* & ſedulo omnes caſus colligens, in quibus legibus noſtri Regni mercium aliquarum revenditio prohibita eſt, Hevia Bolannos *2. p. Curiæ Philip. l. 1. del commercio terreſtre, c. 11. ex n. 13.* Tiraquell. *de nobilit. c. 33. n. 11. & 12. cum ſeq.* P. Gregorius *de Republ. l. 4. c. 7. ex n. 8.* Joannes Bodinus *de Republ. l. 3. c. 8. n. 360.* Petrus Rebuffus *ad leges Galliæ, 2. tom. tract. de Magiſtr. offic. & monopol. art. 4. gloſſ. 2.* & alii ſtatim recenſendi.

7 De improbis monopoliis.

Ab hac monopolii ſignificatione fluxit alia translatitia, & vulgaris, in tantum quod hodie hæc poſtrema invaluerit, & duæ priores illæ minus frequententur. Significat itaque illicitas pactiones, & conventiones, quas dicas conjurationes inter mercatores, & propolas, ne merces niſi ſtatis inter ſe temporibus vendant, & tali pretio diſtrahant, non viliori; vel artifices, ne artem ſuam exerceant, niſi tali mercede, neve alios artes ſuas doceant præter filios, & conſanguineos, vel ruſticos, ne diſtrahant frumenta, vel agros conducant, vel nobiles ne locent. In ſumma quidquid inter plures attentatur, quo merces carius vendantur, miniſteria majori mercede exercean-

ceantur, libertas commercii exerceatur difficilius, ſi fit pacto inter ſe condito, nomine monopolii concinetur, d. l. unica, Cod. de monopol. & conventu negotiatorum illicito, vel artificio operarum, necnon balneatorum prohibitis, & pactionibus illicitis, qui titulus textum explicat, in quo contra eos, qui hæc pacta illicita ineunt pœna exilii perpetui, & amiſſionis bonorum imponitur; & primates officiorum, qui præſumuntur hujus fraudis conſcii, quadraginta librarum pœna mulctantur. Quam conſtitutionem, juncta Azonis explicatione, & praxi, traducit noſtra lex 2. tit. 7. part. 5. unde plurimas ſpecies monopolii cumulant Conradus de contract. q. 51. Mexia dicta concluſ. 1. n. 168. & ad emptores extendit poſt alios, quos laudat Diana 1. part. reſolution. moralium tr. 8. de contractibus reſolution. 24. Et denique in tit. 14. l. 8. compil. pro quacumque confœderatione illicita uſurpatur, ibi; De las ligas, monopolios, y cofradias. Unde veteres Interpretes juris Pontificii agunt de monopoliis, ad textum in capite Cum acceſſiſſent, de conſtit. occaſione conventionis inter Canonicos Tullenſes initæ, ut Primiceriatus dignitas in ſua Eccleſia ſupprimeretur & redditus accreſcerent ceteris de Capitulo, quamvis hoc pactum auctoritate Apoſtolica fuiſset confirmatum, ſupponente fore monopolium, niſi confirmatio interveniſset: & in præſenti Felinus monopolium appellat ſtatutum, quod fecit Eccleſia Turonenſis, ne carnes venderentur alibi, quam in ſuis ſtallis, ſive macellis. Inde inferens ad Dominos vaſſallorum, qui idem præcipiunt: vel ne panis coquatur niſi in ſuis furnis, vel triticum non molatur niſi in ſuis molendinis: de quibus ſpeciebus agunt veteres in additionibus ad Salicetum, laudati in dicta lege unica, Bartolus, Jaſo, & Ripa communiter in leg. quominus 2. de flumin.

8 *Eſt illicitum a natura.* Hoc genus monopolii eſse illicitum ex natura ſua, a poſteriori probatur, quia multis Senatuſconſultis prohibitum fuit, teſte Plinio communiter adducto l. 8. natur. hiſtor. c. 37. in fin. Hac cute, inquit, expoliuntur veſtes (loquitur de herinacei, ſive hericii horrida ſpiniſque denſiſſima cute, qua panni, & vellera expoliuntur.) Magna fraus. Et ibi: "Lucrum monopolio invenit: redemptores enim herinaceæ cutis monopolio colligati eam vendebant quo pretio optabant, cum vellera alioquin expoliri ſine ea non poſſint, rudi adhuc ſæculo, & nedum inventis pectinibus ferreis, ſetis aprorum, & aliis inſtrumentis, quibus hodie utimur." Proſequitur Plinius crebrioribus Senatuſconſultis, nulloque non Principe adito: querimoniis provincialibus; & qui contra annonam faceret, illicitamve ſocietatem coiret, quod eſt monopolium, lege Julia de annona tenebatur, l. 2. ad l. Jul. de ann. cujus pœna viginti aureorum fuit, ut ex §. ultimo ejuſdem legis conſtat. Severiori cenſura repreſsa fuiſse monopolia propolarum, & artificum ab Imperatore Zenone, vidimus in d. l. unica, C. de monopol. & a noſtro Alfonſo in d. l. 2. tit. 7. p. 5. Sed forte tunc ſeveritas hæc valde neceſsaria fuit; nec exiſtimo, tantam aſperitatem pœnæ diutius uſu retentam fuiſſe. Extra ordinem puniri docet Paulus in l. Dardanarios 37. ff. de pœnis, juncta l. annonam 6. de extraord. ideſt arbitrio judicis, ut poſt Ripam in tr. de peſte, ex n. 198. docet Menochius de arb. caſu 384. quam pecuniariam olim fuiſſe, quia ex lege Julia annona proficiſcebatur, ſupra notavi, & colligi poteſt ex his quæ erudite adducit Revardus l. 3. var. c. 16. Nonnunquam infligi pœnam catamidiationis, ſive verecundiæ publicæ, & exilii ex facto, tradit Mexia dicta concluſ. 1. in pragmatica taxæ panis, num. 166. Apud nos vero in variis ſpeciebus variæ pœnæ ſtatutæ ſunt ex legibus Compilat. quas adducunt Pichardus in manuduct. ad praxim, 3. par. n. 10. & Hevia ſupra n. 20. ubi vero pœna defuerit ſpecialis, arbitrio judicis illicitum monopolium puniendum erit. Ex qua principum cura, & animadverſione a poſteriori, ut dixi, probatur monopolium hoc ex ſua natura rem eſſe turpem.

9 *Et contra caritatem.* Probatur etiam a priori, eſſe ſemper contra charitatem, & plerumque contra juſtitiam. Contra charitatem eſt, quamvis juſtum pretium non excedatur ex eo, quod proxima tollitur occaſio comparandi res utilius, viliorique pretio, ſi eſſent ab omni pactione, & coitione libera commercia. Alii enim ſunt in vendendo liberaliores aliis; ut qui minori lucro contenti ſunt quibus monopolium præcludit viam benefaciendi ceteris, contra illud Prov. c. 3. v. 27. Noli prohibere beneficium eum, qui poteſt facere; ſi vales, & ipſe benefac. Et v. 29. "Ne moliaris amico tuo malum, cum ipſe in te habeat fiduciam." Et ſuperius v. 3. "Miſericordia, & veritas te non deſerant, circumda eos gutturi tuo & deſcribe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & diſciplinam coram Deo, & hominibus." Ex quo capite ſemper iſtæ coitiones contra charitatem ſunt, & plerumque contra juſtitiam, ut dixi, quia vix ab illis injuſtitia poteſt ſeparari; eo enim tendunt, ut merces in horreis detineantur, inveniantur que raro, nec commutentur, niſi immodico pretio, propter indigentiam earum, cum non ſint alii, qui eas vendant, niſi qui inter ſeſe illicite cojerunt; quæ annonæ flagellatio non provenit a defectu naturæ qui juſte excreſcere pretium faciat; ſed a pravo deſiderio, & inordinato affectu lucri monopolarum. Ergo quicquid per hoc deteſtabile medium plus conſequuti fuerunt pretii, aut mercedis nomine, tenentur reſtituere his quibus abſtulerunt; & non tantum unuſquiſque pro ſua parte, ſi forte minus vendidit mercium quam aliis ex monopolis, ſed in ſolidum, donec toti Reipublicæ totaliter repenſetur, quod illicite ipſi extortum eſt; omnis enim, qui conſilio, conſenſu, aut pacto cauſam dedit injuſtæ acceptioni, ad reſtitutionem tenetur, quamvis ipſe non accipiat, vel non totum accipiat. D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 1. in corpore; in quo diſtat genus hoc monopolii a ſecundo, quod accidit ex induſtria ejus, qui omnes merces juſto pretio currente comparavit, ut poſtea vendat cariori in ſuo tempore. Hic enim monopola induſtrius, ſi eo animo emit, ut caritatem annonæ inferat, peccat mortaliter contra charitatem, ſi poſtea utens occaſione, magno pretio diſtrahat, etſi ſe contineat intra metas juſti pretii, c. quicumque 9. 14. q. 4. non tamen contra juſtitiam, quia nemini fecit injuriam, cum omnes poſſent ſibi merces comparare, & ſic ad reſtitutionem non tenetur. Monopolæ vero ex ſecundo genere rem contra juſtitiam faciunt, quia non ſolum conſequuntur ut privati majori pretio emant, ſed conſequuntur, quod augeatur pretium, non ab indigentia, ſed a pacto, & conventione illicita, l. 12. tit. 11. l. 6. compil. Sylveſter in ſumma, verbo Emptio, q. 10. in fine, n. 15. & 18. qui proculdubio ita diſtinguit, quamvis breviter, Roſella eodem verbo q. 23. Angelus verbo Negotiatio, n. 3. Eligius Baſſeus novioribus laudatis 1. t. Theologia practica, verbo Cambium, n. 16. & verbo Venditio, ex n. 24. Sotus de juſtitia, & jure, l. 6. q. 2. art. 2. & 3. cum aliis laudatis a Molina d. diſp. 343. tr. 2. Leſſius l. 2. c. 21. dub. ult. Azorius 3. p. inſtit. moral. l. 8. c. 28. Bonacina de contractibus diſp. 3. q. 2. puncto 5. n. 2. & 3. Navarrus in manuali, c. 23. n. 91. & 92. Tuſchus pract. lit. M, concluſ. 358. Petrus Gregor. l. 25. ſynntag. c. 13. n. 6. & 7. & l. 36. c. 30.

f Non debere.) Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegialis poteſt habere macellum ad ſecandas, & vendendas carnes ad propriam commoditatem, & ſuſtentationem miniſtrorum ipſius Eccleſiæ proprio jure, non vero ut publice vendantur. Poteſt etiam habere macellum publicum, ſi privilegio Regis, vel alterius ſuperioris præſcriptione, aut conſuetudine jus illud habendi obtineat. De primo caſu contra communem antiquorum opinionem in præſenti accipit hunc textum Ripol. l. 1. variar. c. 1. n. 151. Ex hoc textu Felinus, & alii repetentes communiter deducunt, quemlibet poſſe in privato ſuo ſolo molendinum facere, vel furnum, vel macellum ponere propriæ utilitatis cauſa, quamvis lucrum adimat aliis poſitis prope. Ita etiam docuerunt Jaſo, & Ripa in l. quominus 2. ff. de flumin. Padilla in leg. manifeſti, n. 5. C. de ſervit. Petrus Barboſa in leg. 2. in princ. 2. p. a n. 36. ff. ſolut. matr. Menochius de arbitris, caſu 156. Faber l. 19. conjectur. c. 15. quia rebus ex jure gentium publicis, aut natura communibus, quilibet uti poteſt, ſi cauſæ publicæ, vel privatæ non noceatur, damnum in re aliena dando, l. 2. §. damnum, ff. ne quid in loco publico. Exempla extant in l. 1. §. ſicut 21. de aqua, & aqua pluv. l. ſi in meo, juncta l. in puteum 12. ff. eodem tit. leg. ſi ſervus 27. §. ſi furnum, ff. ad l. Aquil. quam non vulgariter illuſtrant D. Joannes Suarez ad l. Aquil. l. 2. c. 2. ſect. 4. l. fiſtulam 19. ff. de ſervit. præd. urb. l. quidam 13. ff. eodem tit. l. ſi quis opus 21. §. ult ff. quod vi, aut clam, l. domum 61. ff. de regul. jur. l. ſicut 8. §. Ariſto 5. ff. ſi ſervitus vindicetur. Quæ doctrina duplicem patitur exceptionem. Prima eſt favore agriculturæ, quia non licet tollere ædes contra aream vicini, in qua fruges triturantur, ſi adimatur ventus ad triturationem neceſſarius, l. ult. C. de ſervit. Harmenop. l. 4. promptuar. tit. 27. in fine. Secunda eſt, ſi opus in ſolo proprio factum non proficit domino, & nocet vicino, ut ex ſola malitia videatur factum, l. 2. §. item Varus 5. de aqua, & aqua pluv. cujus rationem præceteris reddit Antonius Faber in Juriſprud. tit. 1. princ. 2. illat. 1. Ex noſtro jure videnda eſt lex 1. tit. 1. lex 19. tit. 32. p. 3. 10

g Poſt citationem.) Et ita lite pendente, juxta tradita in c. unic. de litis conteſt. Quo tempore nihil erat innovandum, juxta tradita in c. 1. ut lite pend.

COMMENTARIUM.

CUm Collegium Canonicorum intenderet Magduni jus habere, ut tantum in eorum ſtallis, menſiſve laniones, carnifices, ſeu macellarii carnes venderent; contra Epiſcopus Aurelian. aſserebat, ſe jus habere in eo oppido laniariam obtinendi, cujus litis cauſa judices ex utriuſque partis conſenſu recepti fuerunt, ita ut die præſtito a litigatoribus, lis conteſtaretur: interim Epiſcopus Aurelianenſis Magduni in aliis, quam Collegii ſtallis carnes vendi fecit; unde conqueſti fuerunt prædicti Canonici regulares coram ipſis judicibus, petentes ut clauſis Epiſcopi macellis, cauſa in priſtinum ſtatutum reſtitueretur. Contra vero Epiſcopus aſserebat, ipſos adhuc judices non eſse, cum lis non fuiſset conteſtata. Et cum hæc exceptio rejiceretur, Epiſcopus ad Gregorium IX. appellavit, procuratoremque miſit ad appellationem proſequendam: ſed cum ipſe contra mandatum Epiſcopi male verſatus eſset petendo judices Epiſcopo ſuſpectos, decrevit Gregorius IX. Epiſcopum elapſo anno proſequi poſse appellationem, cum intra annum procuratorem ad eam proſequendam conſtituerit. 11

CA-

CAPUT LXX.

a Idem

INterpoſita appellatione ex cauſa probabili, non ſufficit appellanti probare quod ex cauſa hujuſmodi provocavit, ſi eam non docet eſſe veram: niſi hoc ſe b offerens probaturum, non fuiſſet admiſſus.

NOTÆ.

1 a IDem.) Gregorius IX. videlicet, qui a nemine conſultus, ſed proprio motu edidit conſtitutionem hanc perelegantem, re, ac fama celebrem, inter ſcholaſticas difficilem, & inter forenſes controverſias percelebrem; ejus commentarium dedi in c. ut debitus 59. hoc tit.

b Offerens.) Ut in c. cum veniſſet, de eo qui mittitur in poſſeſſ. c. ex parte 7. de teſt. c. ſignificante, c. Rodulphus, de reſcript.

§. I.

EIdem a quoque permittitur, ſi non recipiatur appellatio ejus a judice, nec ab adverſario approbetur, ſuper proſequutione appellationis per procuratorem ad b impetrandum, & contradicendum conſtitutum, litteras impetrare: licet pars altera per ſe, vel per procuratorem idoneum, judicium ſuper hoc apud Sedem Apoſtol. recipere ſit parata.

NOTÆ.

1 a EIdem quoque permittitur, ſi non recipiatur appellatio.) Recte ex his verbis deducit Cujacius in præſenti, principium hujus textus accipi debere de eo, cujus appellatio non recipitur, cui ſatis eſt obtuliſſe judici a quo probationes cauſæ appellationis, quam allegavit, ut ſi eas probationes judex non receperit, præſumatur juſtam ipſum habuiſſe appellandi cauſam, nec novam probationem offerre ipſum teneri apud judicem appellationis, ut jam probavi in dicto capite ut noſtrum.

b Ad impetrandum.) De quo procuratore egi in capite ſua 64.

§. II.

ILle denique, qui vocem appellationis emiſit, cujus nondum eſt aliis cognitio delegata, ad petitionem ejuſdem, ad eum, a quo provocavit, de jure remittitur, & contradictione partis alterius non obſtante, in legitimis expenſis adverſario, quas eum propter hoc feciſſe conſtiterit, eſt condemnandus.

COMMENTARIUM.

2 REnunciari poteſt appellationi non ſolum ante ſententiam, leg. 1. §. ſi quis ante, ff. a quibus appellare, Paulus l. 5. ſent. tit. 24. leg. fin. Cod. de temp. appell. Clezelius de appel. c. 2. n. 50. verum & poſt interpoſitam appellationem mutando conſilium, & illi renunciando expreſſe, vel tacite, leg. nemo, Cod. hoc tit. in Theod. leg. ſi quis libellos 26. Cod. hoc tit. quæ extat in capite ſi quis libellos 2. q. 6. & per eam abrogari legem revocare, Cod. Theod. eod. tit. docuit Cujacius in leg. 6. Cod. hoc tit. ad medium. Ratio in promptu eſt, quia appellatio in gratiam, & utilitatem rei inventa eſt, ut eleganter ait lex 11. Cod. Theodoſ. hoc tit. & eſt apud Arnulphum ep. 67. ibi: "Quia nolens agere, cogi non poterat; & ad preces ejus, ipſiuſque favore videbatur ſublatum appellationis obſtaculum, ad læſionem ejus retorquere non debuit." Succedit vulgare principium textus in leg. ſi quis in conſcribendo, Cod. de pactis. Sine expreſſa vero renunciatione ex ſola negligentia tacite appellationi renunciatur, c. gratum, de offic. del. leg. 17. Cod. Theod. hoc tit. veluti ſi appellans non poſtulet apoſtolos intra triginta dies, c. ab eo 6. c. Ut ſuper, hoc tit. ſi non proſequatur appellationem intra annum, vel biennium, ſeu tempus a judice præſcriptum, cap. Perſonas 4. cum ſeq. hoc tit. vel ſi ille, qui appellavit, poſtea produxit teſtes, vel egit in eadem cauſa coram judice a quo; quia ita videtur ab appellatione receſſum, cap. Directe 39. hoc tit. cap. ex ore, de his quæ fiunt a majori parte cap. Si de terra, cap. Accedentibus, de privileg. ſi condemnatus poſt appellationem petierit terminum ad ſolvendum, l. ad ſolutionem 5. Codic. de ſolut. explicat Cabreros de metu l. 2. capit. 25. num. 24. proſequuntur alios caſus, in quibus tacite ab appellatione receſſum videtur, Gratianus diſcept. forenſ. cap. 141. num. 22. Pichardus in manuduct. 4. part. precept. 6. Petrus Gregorius l. 5. partit. tit. 15. c. fin. Quæ omnia procedunt re quidem integra, ut docetur in cap. quamvis, eodem tit. & l. quoties videlicet appellans utitur libellis mutatis, antequam aliis cognitio ſit delegata, ut in præſenti docetur, & in capit. ſignificaverunt, de exceptione, dict. leg. ſi quis libellos. Docent Donellus l. 28. comm. c. 6. Tuſchus t. 2. Verbo Sententia, concluſ. 387. Pichardus ubi proxime, n. 7.

§. Final.

SAne parato aliquo probare gravamen, propter quod duxerat appellandum, parte adverſa ſe contumaciter abſentante, poteſt ſuper hoc lite conteſtata procedi, licet nondum litis conteſtatio facta fuerit in ipſo appellationis articulo, vel negotio principali: quia cum in hoc caſu iniquitas principaliter prioris judicis arguatur, non eſt rigor juris (ex quo ſequi poſſet cauſæ perplexitas) requirendus.

COMMENTARIUM.

3 STatuitur in hoc ultimo §. quod adverſario, contra quem appellatum eſt, non veniente ad diem condictum, & abſente per contumaciam, ſi is qui appellavit, paratus ſit probare cauſam appellationis, & agere, audiendum eſſe, etiam adverſario abſente; quod etiam docetur in c. Per tuas 58. c. ſua 64. hoc tit. l. ultim. §. illud, Cod. eod. l. ult. ff. ad Trebell. probavi in d. c. per tuas.

CAPUT LXXI.

a Idem.

INquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod quoties clauſula, per quam tollitur appellationis remedium, in medio litterarum ponitur, ſi ſunt plura negotia ſe minime contingentia, tantum præmiſſa complectitur, niſi forte in fine litterarum prædicta clauſula iteretur.

NOTÆ.

1 a IDem.) Gregorius videlicet IX. qui cum agnoviſſet jam de hac clauſula, appellatione remota, actum fuiſſe in c. paſtoralis 53. hoc tit. ubi ejus effectus retuli, hic tantum agit de eo caſu, in quo hæc clauſula adjicitur in reſcripto Pontificio, non extremo in loco, ut plerumque contingit, ſed in medio, utrum referenda ſit ad ea quæ præceſſerunt, an vero ad ea quæ ſequuntur? Et ait Gregorius, referri tantum clauſulam illam ad cauſas, quæ præceſſerunt, niſi ſequentes illis connexæ ſint. In extremo autem clauſulam eam adjectam ad omnes ſpecies præcedentes referri, notum eſt exemplo ſtipulationis ultimo loco ſubjectæ poſt plures conventiones, lege Titia, §. ult. ff. de V. O. late illuſtravi in cap. 2. & 41. hoc tit.

CAPUT LXXII.

a Idem.

UNa ſententia pluribus condemnatis, ſi unus ſolus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi ceteris ſuffragatur, ſi communi jure juventur, idemque negotium, & eadem cauſa defenſionis exiſtat.

NO-

NOTÆ.

1 a *IDem.*) Greg. videlicet IX. qui præſentem conſtitutionem proprio motu edidit ſtatuendo, ut appellatio unius ex ſociis in cauſa communi omnibus proſit, ideſt, ut ſi in lite, quæ plurium interſit, ſententiaque contra omnes lata ſit, & unus appellaverit, & in ſecunda inſtantia pro eo ſententia lata ſit, omnibus proſit, ad quos commodum ex lite potuit pervenire; quod etiam docetur *in c. ei qui* 41. *v. Quandoque* 2. *q. 6. l. ſi quis* 10. *§. quod eſt, ff. hoc tit. l.* 1. *&* 2. *cod. ſi unus ex plurib.* quæ referuntur a Gratiano 2. *q. 6. §. definitiva, verſ. Quandoque, l.* 5. *tit.* 23. *p.* 3. *l. bona* 3. *§. in bonorum, juncta l. ſeq. ff. de bonor. poſſ. l. ſi poſt mortem* 10. *§. fin. ff. de bonor. poſſ. contra tab.* ſicut etiam idem ſervatur in reſcripto impetrato in cauſa communi, *l.* 1. *cod. de diverſ. reſcrip.* Hoc autem procedit ſi omnium litigantium jus æquale ſit, nec ulla diverſa circumſtantia in uno, quam in alio reperiri valeat; Exemplum ponit Ulp. *in l. ſi quis ſeparatim* 10. *§. ult. hoc tit.* veluti ſi duo tutores judicio tutelæ fuerint condemnati, & appellavit is qui adminiſtravit; is vero qui deſiit adminiſtrare, non appellavit, diverſa utriuſque cauſa eſt: & ideo ſententia pro appellante lata non prodeſt alteri, cum vero una cauſa litigandi eſt, prodeſt: quia licet regulariter res inter alios acta, aliis nec noceat, nec proſit, *l. ſæpe, ff. de re jud. c. pen. eod. tit.* ubi probavi; tamen in cauſa appellationis æquitas ſuggerit, ut in omnibus proſit; cujus æquitatis ratione habita, id reſcriptis imperatorum cautum fuit, *d. l. ſi quis* 10. *§. quod eſt*, multiſque rationibus efflagitantibus, quas congerit Vvameſius *in præſ. n.* 1. *&* 2. Deſideratur tamen primo, quod in omnium perſona una condemnatio fiat, *d. l.* 1. *C. ſi unus*: alioquin ſi pluribus ſeparatim condemnatis unus appellet, nihil talis appellatio ſociis proficit, quin imo pluribus appellationibus opus eſt, *d. l. ſi quis*, docent Donellus *l.* 28. *comm. c.* 5. ubi Oſualdus *litter. B.* Faber *in ſuo C. l.* 7. *tit.* 30. *definit. unica n.* 4. Quemadmodum ſi unus duplici ſententia ſeparatim damnatus ſit, duplex appellatio neceſſaria eſt, *l. ſi cum una* 17. *ff. hoc tit.* Secundo deſideratur, ut omnes ſocii communi jure utantur, non vero ſi unus ſpeciali beneficio fruatur, veluti ſi minor cum majore damnatus ſit, & adverſus omiſſam appellationem minor reſtituatur, *l. ait Prætor, §. ſi provocaverit, ff. de minor.* tunc enim ſi reſtitutionis auxilio minor utens appellaverit, ſocio non prodeſt; *l. unic. C. ſi in communi, eademque cauſa*: niſi ſit cauſa individua, veluti ſervitutis, quo caſu omnibus prodeſt, quia res diviſionem non recipit, *l. ſi communem* 10. *ff. quemadmodum ſervit.* docent Gloſſa ultima *in d. l. unica*, Caldas Pereyra *in l. ſi curatorem, verbo Adverſarii dolo, ex n.* 25. *C. de in integr. reſtitut.* Petrus Barboſa *in l.* 1. 3. *par. n.* 63. *ff. ſoluto matrim.* Anton. Gamma *deciſ.* 291. ubi Flores de Mena *verſ. Secundo*, P. Molina cum magno judicio, 2. *t. de juſtit. & jure, diſp.* 573. *verſ. Quando duo*, Salgado *de retent. Bullar.* 2. *par. c.* 11. *n.* 63. & breviter *in labyrint.* 2. *part. c.* 2. *nu.* 40. noviſſime Ayllon Lainez *ad Anton. Gomez* 2. *t. variar. c.* 14. *n.* 11. adverſus ſuum auctorem, qui contrarium cenſuit. Ratio differentiæ inter ſententiam, & reſtitutionem eſt, quia reſtitutio ſupponit in minori ſpecialem cauſam, quæ aliis minoribus non ſuffragatur, videlicet beneficium ætatis, per quod illis conſultum eſt contra læſiones, quas propter lubricum ætatis patiuntur, *l.* 1. *ff. de minor.* Hæc ratio beneficii omnino deeſt in majoribus; quare illis ſuffragari non poteſt, ſi cauſa diviſionem patiatur, ut pro parte reſtaurari poſſit, & pro parte non. At vero quando ſententia in ſecunda inſtantia fertur, in una, eadem, ac pari cauſa non poteſt dividi effectus. Eſt enim quodam modo individua ſententia, cum feratur ſuper jure rei, & ſuper juſtitia, vel injuſtitia primæ ſententiæ; ſi enim injuſta cenſetur, omnino eſt injuſta, revocatioque omnibus proderit. Facit optimus textus *in leg. in judicio*, 47. *ff. famil. erciſcund.* Ita ſuppleo, vel firmo rationem, quam tentarunt reddere Joannes Mauricius *de reſtit. c.* 187. & Caldas *ubi proxime, n.* 26. de qua reſtitutionis materia in cauſa communi late agit Sfortia 1. *p. ejuſd. tr. q.* 46. *per tot.* addendus Pichardus cum multis, quos laudat in manuductionibus ad praxim, 4. *par. §.* 2. *per tot.*

CAPUT FINALE.

a Idem.

SI juſtus *b* metus, quominus appellaveris, te excuſat, ad appellationis reputaris beneficium convolaſse, dummodo intra tempus, quo licite provocatur, coram judice a quo appellaſse volueris: vel ſi habere ipſius copiam nequiviſti, in præſentia bonorum virorum, proteſtatione ſuper hoc propoſita, cauſas appellationis duxeris exprimendas.

NOTÆ.

a *IDem.*) Gregorius videlicet IX. qui præſentem conſtitutionem deprompſit partim *ex l. c. quidam* 7. *ff. hoc tit.* partim *ex l.* 2. *C. de his qui propter metum*, ut notavit Cujacius in præſenti.

b *Juſtus metus.*) Qui dicatur juſtus metus, & cadens in virum conſtantem, jam expoſui *in c.* 1. *de his quæ vi.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio Probatur. EX hoc textu talis deducitur diſputanda aſſertio: " Juſtus metus excuſat adeo, quod non appellans habeatur pro „ appellante, ſi fuerit proteſtatus, & appellationis cauſas „ expreſſerit. „ Probant eam textus *in l. cum quidam* 7. *ff. de appellat. l.* 30. *C. Theod. hoc tit. l.* 2. *C. de his qui propter metum, l.* 1. *eod. tit. in Theod. l.* 22. *in fin. l.* 27. *tit.* 23. *par.* 3. faciunt a ſimili textus *in c. paſtoralis* 11. *de offic. ordin. l.* 2. *verſ. Sin autem, Codic. de annali except.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, Balboa, & Fermoſino; Sanc. *de matr. lib.* 4. *diſp.* 4. *n.* 8. *& lib.* 3. *conſil. c. unico*: Cujacius hic, Cironius *ad tit. de his quæ vi, in fine*: Miſynger. *cent.* 4. *obſerv.* 44. *&* 45. Marqueſanus *de commiſſ.* 1. *p. §.* 1. *ex nu.* 13. Coſta *de remed. ſubſid. c.* 59. Iranzo *de proteſt. conſid.* 7. Conſtantius Rogerius *eod. tr. n.* 6. *&* 7. Martinus de Ve *eod. tr. nu.* 13. Cabreros *de metu lib.* 2. *c.* 25. Baſil. *de matr. lib.* 4. *c.* 13. Jacob. Gothofred. *in d. l.* 1. *C. Theodoſ. de his.*

2 Impugnatur aſſertio. Sed pro dubitandi ratione ita in præſentem aſſertionem inſurgo; Vis non dicitur illata a Magiſtratu, qui ſententiam ſuam exequitur, *l.* 3. ibi: " Sed vim accipimus atrocem, & eam „ quæ adverſus bonos mores fiat, non eam quam Magiſtra„ tus recte intulit: „ *& l. fin. §. ſi juſto, ff. de eo quod metus.* Et ita compulſio neceſſaria, atque probabilis actum non vitiat, *leg.* 1. *ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* juris enim executio non continet injuriam, *l. injuriarum, §.* 1. *ff. de injur. leg. quemadmodum, l. Magiſtratus, ff. ad l. Aquil.* Sed in præſenti conſtitutione agitur de metu a Magiſtratu illato. Igitur non poteſt dici juſtus ad hoc ut excuſetur non appellans, & habeatur pro appellante. Augetur primo hæc difficultas ex eo, quod appellatio interponenda eſt coram judice a quo, cujus copia ſi haberi non poſſit, adeundus eſt judex ad quem, *l.* 1. *§. dies, verſ. Si quis, ff. quando appell. c. Ut debitus* 59. *verſ. cum autem, ſupra hoc tit. c.* 1. *in prin. hoc tit. lib.* 6. *Clem.* 1. *eodem*, docent Maranta *in ſpeculo, tit. de appellat. num.* 152. Paz *in praxi, t.* 1. *par.* 6. *in proœm. n.* 52. Guttierez *practic. q.* 102. *a n.* 1. Igitur ad viros bonos, de quibus in præſenti, recurrendum non erat. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio ex eo, quod vel textus hic loquitur in appellatione a definitiva, vel ab interlocutoria; neutro caſu inter ſe conveniunt antecedentia cum ſequentibus in præſenti textu: ergo nullo caſu is, qui propter juſtum metum appellare deſiit, reputari debet appellans: Major patet, minor vero probatur quoad appellationem a definitiva, quia in fine hujus textus habetur, metum paſſum teneri cauſas appellationis exprimere coram judice a quo; vel ſi illius copia haberi non poſſit, coram honeſtis viris; ſed appellans a definitiva non tenetur cauſas exprimere, ſed ſatis eſt ſi dicat, Appello, *l.* 2. *ff. hoc tit.* cum aliis ſupra geſtis *in c. Ut debitus.* Igitur de definitiva præſens textus accipi non poteſt. Quoad interlocutoriam appellationem conſtat, quia Gregorius in præſenti, inquit, ſatis eſſe appellantem exprimere cauſas appellationis: ſed in appellatione ab interlocutoria temporibus Gregorii IX. non ſufficiebat cauſas exprimere, ſed neceſſarium erat eas probare, ut illuſtravi *in c. Ut debitus, hoc tit.* Igitur nec de ſententia interlocutoria præſens textus accipi poteſt. Fulcitur tandem hæc dubitandi ratio ex eo, quod legitime impedito, & per quem non ſtat quominus actus adimpleatur, nihil poteſt imputari; & ideo perinde habetur ac ſi actus celebratus eſſet, quamvis proteſtatio non fiat, nec cauſæ impedimenti exprimantur, *l.* 1. *§. ult. C. de annal. except. leg. jure civili* 24. *ff. de condit. & demonſtrat. c. quia* 5. *de conceſſ. præb.* Sed is qui propter metum non appellavit, ſatis dicitur juſte impeditus, ut patet ex hoc textu, ibi: *Juſtus metus.* Ergo tempus ad appellandum illi currere non poteſt.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante, verum eſt, juſto metu intercedente, & proteſtatione facta coram honeſtis viris, non appellantem haberi pro appellante. Ratio eſt, quia quando non ſtat per aliquem quominus quid fiat, actus habetur pro celebrato, ut ſupra probavi: unde cum in præſenti ſpecie non ſtaret per partem oppreſſam quominus appellaret, ideo pro appellante habetur. Accedit, nam legitima proteſtatio ex jure communi illum effectum producit, ut actus geſtus, vel non geſtus credatur juxta formam, & qualitatem proteſtationis, & utilitatem proteſtantis, ut probant Conſtantinus Rogerius, Martinus de Ve, Joannes de Aguſelis, Kingrinus, Paulus Felungerus, & Iranzo *integro tr. de proteſt.* & cum hæc pro conteſtatione habeatur, *l.* 2. *ff. de nautico fœnore*; ideo proteſtans habetur pro appellante. Debet tamen hujuſmodi proteſtatio fieri intra tempus ad appellandum a jure conceſſum, ex præſenti textu, ibi: *Dummodo*, &c. *d. l. ult. §. ult.* ibi: *Intra dies*; docet Paz *dict.* 6. *part. in proœm. n.* 53. Ratio eſt, quia ſubrogatum fieri non debet intra tempus, in quo principale gerendum erat, *l. penult. in princ. ff. rem ratam haberi, l.* 1. *ad finem principii*, juncta Gloſſa, ibi: *verbo Quod mox, ff. hoc tit.* Anton. Gomez *in l.* 45. *Tauri, n.* 93. Tiraquel. *de retract. tit.* 1. *gloſſ.* 10. Sufficit tamen quod hujuſmodi proteſtatio fiat coram uno bono viro, dummodo id ipſum per legitimum teſtium numerum comprobetur, *d. l.* 2. *verſ. Sin autem*, juncta gloſſa *verb. Tabulariorum, c. ut circa* 4. ibi: *Aut perſona, de elect. in* 6. Nec novum eſt, ut plurale pro ſingulari accipiatur, ut contingit in conditione, *ſi ſine liberis*, quæ verificatur uno filio relicto, *l. non eſt ſine liberis* 148. *ff. de V. S. l. ex facto* 17. *§. ſi quis rogatus, ff. ad Trebell. l. pater* 100. *§.* 1. *ff. de condict. & demonſtr.* Caſtro *in cap. ſi pater*, 1. *part. verbo Si abſque liberis, numer.* 21. *de teſtam.*

3 Traditur ratio decidendi.

4 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa: nam præſens textus procedit in metu injuſte incuſſo a judice, a quo de jure talis metus inferri non debebat, cum non deberet ægre ferre judex appellationem, licet ab eo provocaretur: at ſi judex juſte impediret appellationem, etiam metu incuſſo, non haberetur appellans pro appellante, ut docet Alexander de Nevo in præſenti, *n.* 20. Præpoſitus *n.* 5. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 8. *n.* 9. Baſilius *eodem tr. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 6. Cabreros *de metu, ubi ſupra, n.* 14. Nec primum augmentum difficultatis adverſatur; nam verum eſt, quod ſi judex ad quem facile adiri poſſit, ille adeundus eſt, *l.* 1. *§. dies, ff. quando appellandum*, quæ habetur *in c. viduam, verſ. Si quis ipſius*, 2. *q.* 6. facit etiam & ea ratio, nam hæc proteſtatio coram honeſtis, atque idoneis viris facienda remedium eſt ſubſidiarium, quod tunc demum a jure conceditur, quando non ſuppetit ordinarium, quia remedium ſubſidiarium non admittitur ſtante ordinario, *l. in cauſa* 17. *princip. ff. de minor.* Cum ergo in præſenti ſpecie, etſi judicis a quo copia deficiat, facultas tamen maneat adeundi judicem ad quem, atque ita remedium competat ordinarium, conſequens eſt, illo ſtante, locum non eſſe proteſtationi. Gloſſa *verbo Majori, in Clement.* 1. *hoc tit.* Immola, & Decius *hic*, Maranta *in ſpeculo, tit. de appell. n.* 121. Paz *in praxi, ſup. n.* 53. quamvis nonnulli contrarium teneant, quibus non ſuffragatur, quod Gregorius in præſenti nullam facit mentionem judicis, ad quem, ſed tantum meminit judicis a quo, quaſi ſufficiat ad legitimam proteſtationem, quod ſolius judicis a quo copia haberi non poſſit. Nam reſpondetur in præſenti caſu longe diverſos terminos reperiri in appellatione, quam in proteſtatione; illa enim coram judice a quo, vel ſi illius copia deficiat, apud judicem ad quem omnino interponenda eſt: hæc vero coram judice a quo, vel ſi illius copia non detur, in præſentia bonorum virorum fieri poteſt, ex præſenti textu. Nec obſtat ſecundum difficultatis augmentum, pro cujus ſolutione examinandum venit, cujuſnam cauſæ expreſſio deſideretur in præſenti ad legitimam proteſtationem. Bartolus *in l. ult. C. de his qui propter metum*, Abbas & Antonius hic, uterque *n. ult.* exiſtimant; proteſtantem teneri exprimere cauſas, propter quas non appellat, veluti quia juſtum metum patitur, quia judicem idoneum non habet, & ſimiles: ſed aperte loquuntur contra verba dicta legis ultimæ, & præſentis textus, ibi: *Cauſas appellationis.* Quæ ſatis evincunt, proteſtantem teneri exprimere cauſas, quas habebat ad appellandum. Quare Gloſſa ultima hic, in primo intellectu, quam ſequitur Cardin. intelligit textum hunc quando appellatur ab interlocutoria, quia tunc probabilis cauſa omnino exprimenda eſt, juxta adducta ſupra *in c. Ut debitus* 59. Sed minus bene reſtringit Gloſſa hanc generalem Gregorii conſtitutionem, quæ æqualiter exaudiri debet in ſententia interlocutoria, ac in definitiva; idcirco Baldus hic, *n.* 2. affirmat in hoc caſu neceſſariam eſſe cauſam, quia deſideratur ex ſubſtantia proteſtationis; quare illis omiſſis dicendum eſt, Gregorium in præſenti deſiderare, ut non ſolum in genere, ut in appellatione a definitiva contingit, cauſa exprimatur, verum ſpecifice gravamen explicetur, veluti quod judex actore non probante ipſum condemnaſſet, vel quod ultra petita judicaſſet, & ſimilia: conſonat dicta lex ultima ibi: *Evidenti affirmatione diſtinguat.* Nec obſtat ultimum augmentum, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, dubium apud Interpretes eſſe, utrum proteſtatio, quæ in præſenti deſideratur, ſit omnino neceſſaria; an vero utilis tantum, ſeu ad melius? Et neceſſariam eſſe defendunt Gloſſa 1. hic, & Abbas *n.* 2. Valeſius *ad hunc titulum, §.* 14. Cardoſo *in praxi, verbo Proteſtatio, n.* 2. *&* 3. Gratianus *c.* 259. qui expendunt pro hac ſententia primo textum hunc, dum in eo Gregorius requirit proteſtationem ad hoc, ut non appellans propter metum habeatur pro appellante, ibi: *Dummodo, &c.* Siquidem modus petit ſui implementum, *l. ſi cui legata* 7. *l. quidam* 10. *ff. de fideicommiſ. libert.* Gamma *deciſ.* 111. Secundo facit, quod textus hic utitur ablativo abſoluto, ibi: *Conteſtatione propoſita*: qui reſolvitur in conditionem, *l. a teſtatore* 107. *ff. de condit. & demonſtrat.* Sed conditio diſpoſitioni adjecta omni modo adimplenda eſt, *l. qui heredi* 44. *l. Mevius* 54. *ff. de condit. & demonſt.* Igitur proteſtatio omnino neceſſaria eſt. Tertio expendit textus *in l.* 2. *ff. de nautico fœnore*, ibi: *Conteſtatione compleri deberet*; quod verbum niſi aliunde contrarium conſtiterit, neceſſitatem importat, *c. Intelleximus, de judiciis.* Contrarium tamen, imo neceſſariam non eſſe proteſtationem, ſed tantum utilem, docuerunt Ripa *de peſte*, 3. *p. c.* 2. *n.* 23. Bardi *de tempore utili, c.* 4. *n.* 3. Sfortia *de in integrum reſtit. p.* 1. *q.* 28. *art.* 3. *n.* 11. plures relati ab Scaccia *q.* 15. *art.* 9. pro quibus facit textus *in leg. ſed cum feriæ, ff. ex quibus cauſis major*, dum ibi docetur, eum qui propter tempus feriarum agere non potuit, reſtituendum eſſe contra uſucapionem ad illud tempus, quod feriæ abſtulerunt, abſque ulla proteſtatione: & in terminis ſententiæ, quando ea tranſivit in rem judicatam, reſtitutionem concedi propter ægritudinis impedimentum ex edicto illo, ſuaderi videtur *ex l. quæſitum* 60. *ff. de re judic.* igitur proteſtatio neceſſaria non eſt. Secundo, quod ubi metus cadens in conſtantem virum illatus proponitur, ſufficit per ſe ad actus reſciſſionem, & ut metum paſſus nullum damnum ſentiat, quamvis nulla ſequatur proteſtatio, *l.* 1. *& per tot. ff. de eo quod metus.* Igitur idem dicendum eſt in appellatione propter metum omiſſa. Adhuc tamen defendenda eſt prior ſententia, quam ut clarius percipias, nota quod actus qui geruntur poſt metum illatum, tunc demum prætextu illius reſcindi poſſunt, quando cauſa metus perdurat: ſi enim vel cauſa deficiat, vel aliter purgetur, ſuſtinebitur actus, etſi omnimodam libertatem requirat, *c. inter*, juxta unum intellectum, 22. *q.* 4. *c. ad id, de ſponſ.* unde cum in eo, qui propter metum non appellavit, poſſit intra decennium, in quo appellare tenebatur, vel cauſa metus deficere, vel aliter purgari, merito oportuit omnino proteſtationem intervenire, ex qua conſtet, nec metum purgari, nec illius cauſam deficere. Juvat etiam, quod is qui non appellavit, poterat omittere ipſam appellationem; unde ne illi opponatur, quod propter negligentiam appellationem omiſit, neceſſaria eſt proteſtatio, ut cognoſcatur, non propter negligentiam, ſed propter metum ipſum appellationem omiſiſſe, præcipue cum in his, quæ ab animo pendent, opportunius remedium ſit proteſtatio, *c.* 1. *qui clerici, vel vov. c. accuſatus, in princ. de hæret. lib.* 6. Nec tunc obſtat fundamentum contrariæ ſententiæ, deductum *ex d. l. ſed etſi*; nam reſpondetur, non requiri in eo textu proteſtationem, quia non proponitur ex parte damnum paſſi ſcientia circa præjudicium ſibi illatum; unde non erat ratio, quare proteſtari cogeretur. Contrarium tamen procedit in præſenti ſpecie, cum victus in judicio ſciat ſe damnatum eſſe: unde ut habeatur pro appellante, neceſſaria eſt proteſtatio. Nec illis favet principium deductum *ex d. l.* 1. *ff. de eo quod metus*: nam libenter admittimus juſtum metum ſufficere, ut ſi daretur promiſſio de non appellando, talis promiſſio reſcinderetur prætextu metus, abſque ulla proteſtatione: ſed non inde ſequitur, abſque ea metum ſufficere, ut qui illum paſsus eſt, pro appellante habeatur.

Adhuc ſuperiori aſsertioni opponi poteſt textus *in l. cum quidam* 7. *ff. hoc titul.* ubi proponitur reſcriptum Imperatoris Severi, quo permittitur proteſtanti, ſe appellare non poſſe, cauſam appellationis proſequi. Igitur quia ſemoto tali reſcripto, proteſtatio per ſe effectum appellationis non ſortitur. Cui difficultati, omiſſa Gloſsa marginali in eo textu, ibi dicendum eſt non agi de appellatione, quæ jam fuerat interpoſita, ut patet ex textu: ibi: *A quo appellavit*; ſed de libellis, in quibus appellatio ipſa continebatur: nec reſcriptum illud aliquod jus ſpeciale inducere, ſed juris communis declarationem. 5 Exponitur l. cum quidam, ff. hoc tit.

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

CAPUT PRIMUM.

Cæleſtinus III. a *Ambian. Epiſcopo.*

COnquerente I. presbytero intelleximus, quod poſtquam ad nos veniendi iter arripuit, quidam res ejus diripere præſumpſerunt. Licet presbyter idem res ſuas, & Eccleſiæ ſuæ in protectione noſtra non poſuerit, quando ad nos acceſſit; tamen cum hi, qui accedunt ad præſentiam noſtram, cum rebus eorum debeant eſſe ſub Apoſtolica protectione ſecuri, mandamus quatenus quicquid eidem presbytero poſt iter arreptum ad nos veniendi, ſubtractum eſt, vel ablatum, ſibi reſtitui faciatis.

NOTÆ.

1 a *AMbian.*) In ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. unic.* legitur *Abienſi*, ſed male, cum nulla reperiatur Eccleſia Cathedralis hujus nominis in Geographia ſacra: quare legendum exiſtimo *Albienſi*. Albia autem eſt urbs Galliæ, quam Plinius Albiam Helviorum appellat, ad fluvium Tarnen. ſita, de-